

NE COMITIBUS REI MILITARIS VEL TRIBUNIS LAVACRA PRAESTENTUR.

1.47.1

*Imppp. Arcadius Honorius et Theodosius AAA Anthemio pp.*

Omnem inquietudinem a curiis et civitatibus praecipimus prohiberi nec ulla privata ab his succendi balnea ad tribunorum vel ducum aliorumve militarium comitum usus nec adaerationem aliquam pro hac causa profligari, illustribus enim tantum viris comitibus ac magistris militum (si tamen id voluerint) hoc ministerium indulgemus: dupli poena violatoribus huius sanctionis imminente.

*D. V k. Dec. Constantinopoli Arcadio A. VI et Probo consss.*

[a. 406]